



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem  
Varia Ervditione Noviter evoluta**

**Pexenfelder, Michael**

**Monachii, 1675**

Symbolum III. Marsyas excoriatus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

favere animadvertens: Heus soror, inquit, quàm ego formosus sum ad te collatus, & quàm tu nihil habes formæ; ô deformem Canidiam! Puella impatiens tam acerbi vituperij rem patri detulit, & fratrem graviter accusavit, quòd speculum, rem feminarum, inspexerit. Pater utrumque peramanter amplexus, ô mea pignora, inquit, cupio, ut speculum quotidie inspiciatis: Tu quidem, Hyacinthule, ne scitam & decoram speciem pravis moribus, vitijsque corrumpas: Tu verò, Tulliola, ut sequiorem formam virtutibus & morum concinnitate commendes. Sic ambo rectissimè habebitis. Imitentur igitur Minervam, quicumque & quæcunque dignitatem corporis malis moribus deformant: & abijciant, quidquid pulchritudinem non tam oris, quàm animi corrumpit. Factura hoc fuisset Helena, illud olim venustatis miraculum & oculorum tormentum, si quemadmodum, in orbe vitreo sibi placuit juvenecula, animum adjecisset ad larvam, canis crinibus induendam. De hac Ovid. lib. 15. metam.

Flet quoque, ut in speculo rugas conspexit aniles  
Tyndaris, & secum, cur bis sit rapta, requirit.

## SYMBOLUM III.

### Marfyas excoriatus.

6. Metam. & 6. Fastor.

#### Ethicè.

1. Obtrectator temerarius. 2. Inflatu Musici. 3. Inanis jactantia.

**E** Præcedenti fabula intelleximus, Minervam deprehensa vultus inflatione, ex tibix cantu, abjecisse tibiam, fœdum oris virginei de-honestamentum. Eam fistulam in ripa paludis Tritonidis jacentem, fortè conspicatus *Marfyas*, quidam ex horridis satyris, plus in mento pilorum, quàm in mente Sapientix gestantibus, sustollit homo, inflat ore, premit digitis, elicit sonum, placet modulamen, eò denique arrogantix delabatur, ipsum ut Phœbum, divinum citharœdum, auderet in certamen provocare, sed maximo suo malo: nam ab adversario victus, & abstractâ per artus cute, miserrimè laniatus est; Marfyas, commiseratione deorum in fluvium cognominem suo disfluxit cum sanguine, quem flentes Nymphæ agrestes fuis auxerunt lacrimis. De hac fabula Ovidius 6. fastorum:

B

Prima

Prima terebrato per rara foramina buxo  
 Ut daret, effeci, tibia longa sonos.  
 Vox placuit: faciem liquidis referentibus undis  
 Vidi, & virgineas intumuisse genas.  
 Ars mihi non tanti est, valeas mea tibia, dixi:  
 Excipit abjectam cespite ripa suo.  
 Inventam Satyrus primùm miratur, & usura  
 Nescit, & afflatam sentit habere sonum.  
 Et modò dimittit digitos, modò concipit auras:  
 Jámque inter Nymphas arte superbus erat.  
 Provocat & Phœbum: Phœbo superante pependit;  
 Cæsa recesserunt à cute membra sua.

Et 6. Metam.

Quem Tritoniaca Latòus arundinæ victum  
 Affecit pœna. Quid me mihi detrahis? inquit:  
 Ah! piget: ah! non est, clamabat, tibia tanti.  
 Clamantis cutis est summos direpta per artus,  
 Nec quicquam nisi vulnus erat, cruor undique manat,  
 Detectique patent nervi, trepidæque sine ulla  
 Pelle micant venæ. Saliencia viscera posses  
 Et perlucentes numerare in pectore fibras.  
 Illum ruricolæ silvarum Numina Fauni,  
 Et Satyri fratres, & tunc quoque clarus Olympus, (a)  
 Et Nymphæ flerunt, & quisquis montibus illis  
 Lanigerosque greges, armentaque buccera pavit.  
 Fertilis immaduit, madefactaque terra caducas  
 Concepit lacrimas, ac venis perbibit imis.  
 Quas ubi fecit aquas, vacuas emisit in auras.  
 Inde petens rapidum ripis declivibus æquor;  
 Marfya nomen habet, Phrygiæ liquidissimus amnis.

### Ethica.

I. (b) Per Marfiam denotatur obtrektor temerarius, qui non veretur viros doctrina ac virtute præstantes maledicis scriptis lacessere. Quales sunt Thraconi quidam Litteratores, qui *Latia, Cecropiaq, Minerva* tibià, hoc est, eruditione aliqua tumentes, nomē sibi inter contribules, ut Marfias inter Satyros

(a) Nomen Satyri est. (b) Temerarius obtrektor.

tyros & agreſtes Nymphas, pepererunt. Hi neſciunt ſuam intra pelliculam, quod Martialis Cerdonem monet, ſe tenere: ſed vel famoſis libellis, vel Theoninis ſcriptis contra viros claros inſurgunt, graculi contra luſcinias, Grammatici contra Theologos, Legulei adverſus Juris Anſtitites, rabulæ in Tullios, Chœrili & Mævij contra Marones, & alios Vates, Apollinea lauro cinctos. Quid quærunt? nomen ex temeritate; cupiunt inclareſcere chartis, non alia luce, quàm Vulcaniâ dignis. Sic Heroſtratus, impuriſſimus nebulo, templum Epheliæ Dianæ incendit, ut famam conſequeretur infamiâ. Sed hujusmodi corniculæ non rarò in Aquilas incidunt, quarum acie deprehenditur inſcitia, & ad ſolem expoſita, generoſis unguibus deplumatur ac diſcerpitur, detractâque malè cohærentium calumniarum, ſophiſinatum, ſcommatum cuticulâ, ſipientibus in ludibrium proſtituitur. Sic ſus Minervam, ſic Dares Entellum, ſic Marſyas Apollinem laceſſit. Martialis obtrectatorem talem rejicit tanquam indignum, quem illuſtret reſpondendo lib. 5. Epigram.

Allatres licet uſque nos, & uſque  
Et gannitibus improbis laceſſas:  
Certum eſt, hanc tibi pernegare famam,  
Olim quam petis è meis libellis,  
Qualiſcunque legaris ut per orbem.  
Nam te cur aliquis ſciat fuiſſe?  
Ignotus pereas miſer, neceſſe eſt.  
Non deêrunt tamen hac in urbe forſan,  
Unus, vel duo, trêſve, quatuôrve,  
Pellem rødere qui velint caninam  
Nos hac à ſcabiè tenemus ungues.

Senecæ dictum eſt lib. 2. de Ira. Ultionis contumelioſiſſimum genus eſt, non eſſe dignum viſum, ex quo peteretur ultio; quò pertinet illud ex fabulis:

Tauri ſedebat vilis in cornu culex:  
Volare num ſe vellet, ipſum interrogat.  
Reſpondet ille: nec ſedentem noveram,  
Nec evolantem te proſectò ſentiam.

Id hodièque à viris ſapientibus obſervatur, præſertim in argumento Controverſiarum Religionis, quam alij atque alij, velut canes Lunam, allatrant, & millies refutata novis clamoribus urgent. Quibus aliquando reſpondendo contunditur os. juxta illud Salomonis Prov. 26. *Reſponde ſtulto juxta ſtultitiam ſuam, ne ſibi ſapiens eſſe videatur.* Ali-

quando tamen satius est, maledicentiam ulcisci contemptu. Quod ibidem c. 27. v. 22. Sapientissimus monet: *Ne responde stulto juxta stultitiam suam, ne efficiaris ei similis*; frustra cum infano contendendo. Nam, *Si contuderis stultum in pila, quasi ptisanas, non auferetur ab eo stultitia*. Pendent in Apollinis templo plurimæ Marfyarum excoriorum pelles, non ideò tamen absterrent maledicum canentis Satyri calamum, ne Phœbum, intellige virum sapientia præditum, temeraria provocatione incesat. Indicat hoc Xenophon, *δραβάζωος*. dum refert, Marfyam victum, pellèque spoliatum ab Apolline, *ἐξέλιπον αὐτῷ ἐπὶ σοφίας* certantem sibi de sapientia. Ejusmodi stultitiæ mercedem etiam tubicen ille Misenus tulit, de quo Maro 6. *Æneid.*

Sed tum fortè, cavâ dum perfonat æquora conchâ,  
Demens, & cantu vocat in certamina Divos,  
Æmulus exceptum Triton (si credere dignum est)  
Inter saxa virum spumosa immerferat undâ.

Hoc habet majora viribus tentans audacia. Per illa verba: *Si credere dignum est*. ostendit Poëta, se dubitare, utrum homo tantæ extiterit audaciæ, ut deos in certamen provocaret. Atque hæc de pellicula Marfyæ, infelicissimi tibicinis.

II. (b) Latet etiam alius sensus in hac fabula; quam finxisse dicuntur Athenienses, apud quos, cum eloquentiæ & sapientiæ studia florent; apud alios autem, præsertim Thebanos, tibicines & aulædi, liberalium artium studiosis præferrentur; induxerunt rusticam Satyri tibiam cum suavissima Phœbi lyra certantem, meritasque pœnas dantem. Conqueritur de tam præpostero judicio Martialis lib. 5. ad Lupum.

Cui tradas, Lupe, filium magistro  
Quæris sollicitus, diùque tentas.  
Omnes Grammaticosque, Rhetorasque  
Devites moneo; nihil sit illi  
Cum libris Ciceronis aut Maronis  
Farnæ Tutilium suæ relinquat:  
Si versus facit, abdicet poëtam;  
Artes discere vult pecuniosas,  
Fac discat citharædus aut choraulæ.

Idem lib. 6. ad Severum.

Prætores duo, quattuor Tribuni  
Septem caussidici, decem Poëta

(b) *Inflati Musici.*

Cujusdam.

Cujusdam modò nuptias petebant  
 A quodam sene: non moratus ille  
 Præconi dedit Eulogo puellam  
 Dignum quid fatuo, *Severe* fecit?

Quasi diceret: Nunquid sapienter? nam jacent artes ingenuæ; nec honos eis, nec præmium rependitur. Aulœdi, citharœdi, lyricines, & mensarum sectatores Sycophantæ rem faciunt nugis & facetijs; viri boni & litteris exculsi cum paupertate & inopia conflictantur. Cujus rei Symbolum est *acanthis in spinis vivens* (unde Spinus & Spinulus dicitur) & tamen suaviter canens, cui perpetuæ cum asino inimiciæ. Aristot.

III. (c) Moralem doctrinam suppeditat *Tibia*, quam Minerva abjecit, Marsyas invenit. Hac ille supra sortem suam inflator, sperabat è divino canendi instrumento, divinum quoque, & cuivis Apollini parem cantum profluxurum. Stolidè. Sunt enim *arma sine arte*, quod gladius sine mucrone; manus sine nervo; nomen sine re. Huc facit, quod Martinus Barletius scribit de Georgio Castrioto, cui heroica facta cognomentum Scanderbegi, seu Alexandri peperere. Is acinace suo poterat hostes ad umbilicum usque medios dividere; unde Mahometes Turcarum Imp. desiderio videndi tam potentis gladij, eum sibi mitti petijt. Qui cum non multum ab ense vulgari differe videretur, subdubitavit Mahometes, an illo ferro vulnera tam truculenta fuissent edita; cui renuntiatum à Scanderbego, acinacem quidem à se missum, quo foret in prælijs uti, deesse tamen ferro brachium, quò fuisset illud vibratum. Unde Symbolum: *non gladius, sed manus: non fistula, sed ars.*

(c) *Inanis jactantia.*

## SYMBOLUM IV.

### Midas inauratus.

11. *Metam.*

#### Ethicè.

1. Infelicitas divitum. 2. Stultitia votorum humanorum.

**G**ordius Phryx, agresti & ignobili genere ortus, rex Phrygiæ consultatus est ab omnibus; quòd ex Apollinis oraculo, primus templum Jovis recens in urbe Gordio ædificatum, ingressus fuisset; in